

**Natura pelagi ... / publicae ventilationi offert Johannes Henric. Hager.**

### **Contributors**

Hager, Johan Henrik.  
Linné, Carl von, 1707-1778.  
Uppsala universitet.

### **Publication/Creation**

Upsaliae : Exclud. L.M. Höjer ..., [1757]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/fewmekxd>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

D. D.

# NATURA PELAGI,

QUAM,

CONSENS. EXPERIENT. FACULT. MEDIC.  
IN ILLUSTRI ACADEMIA UPSALIENSI,

Sub PRÆSIDIO,

VIRI NOBILISSIMI ET EXPERIENTISSIMI

# DN. DOCT. CAROLI LINNÆI,

EQUITIS DE STELLA POLARI,

S:Æ R:Æ M:TIS ARCHIATRI,

MED. ET BOT. PROFESSORIS REG. ET ORD.  
ACAD. UPS. HOLMIENS. PETROPOL. BEROL. IMPERIAL.  
LONDIN. MONSPEL. TOLOS. FLORENT. SOCHI,

PUBLICÆ VENTILATIONI OFFERT

STIPENDIARIUS REGIUS,

# JOHANNES HENRIC. HAGER, SMOLANDUS.

IN AUDIT. CAROL. MAJ. D. XVIII. JUNII,  
ANNI MDCCCLVII.

H. A. M. S.

UPSALIÆ, Excid. L. M. HÓJER, Reg. Acad. Typogr.

MAJORskan,  
*Wälborna FRUN,*  
**FRU ANNA MARIA  
REENSTRÅHLE,**

*Min kåraſte MODER.*

Då jag är i begrep, att, uti ett litet Academiskt arbete, för allmänheten uppenbara de otaliga och undrantsvärda ting i Naturen, som så länge legat fördålda i havets djupa gömmor, men båra dock märkeligt bevis om en stor Mästares Allmagt och mil-  
da Förly; förekomma mig tillika de oräkneliga välgärningar, som jag af Min Hulda MODER årfarit, hvil-  
ka jag länge behållit i en vördsam tyrlåtenhet, och nu  
först fått tillfälle, att uppenbartligen värda och er-  
känna, sasom de aldratydligaste vedermålen af en Mo-  
DERS vårdande, ådla och ömma sinne. Jag lämnar  
att upräkna Min MODERS otaliga kärleksprof, ty, då  
jag haft den åran nämna Min kåraſte MODER, har jag  
tillika nämt den med Henne så nära förknippade dygd  
och huldhet. HERREN, som välsignat Min kåraſte  
MODERS årefulla lefnadslopp, med en talrik samling af  
år, han öke ånnu Min kåraſte MODERS dagar, uti all  
den fölighet, som svarar emot Min hulda MODERS åre-  
na vandel. Tiden, ånskónt den alt förtårer, skall aldrig  
förminka den vördnad och undergifvenhet, hvarmed  
jag lefver,      *Min kåraſte MODERS,*

*Lydigſte Son,*  
JOH. HENR. HAGER.

VIR

*Amplissime atque Celeberrime,  
Lingvarum Arabicæ & Turcicæ  
TRANSLATOR,*

DN. MAG. PE TR E  
RU BE NS,  
PATRONE ET CONSANGVINEE  
FAVENTISSIME.

**Q**uod exiguae has studiorum meorum primitias  
NOMINI TUO, VIR AMPLISSIME, munera  
dignitate & meritorum gloria, Celeberrimo,  
dicare sustineam, id tribuas beneficiis propensissimi  
animi, non heri aut nudiū tertius, sed ab eo inde  
tempore, quo, sub fausto sidere, TIBI innotescere  
cœpi, quæ singularia in me exstare voluisti.

Doleo vero me, præter piam gratamque men-  
tem, nihil prorsus habere, TIBI, Patrone Optime,  
reddendum. Hocce ergo, leve licet, chartaceum  
munus benigne ut accipias, submisse rogo.

Vota denique pro perenni TUA felicitate nuncu-  
pabo, ut TU, VIR AMPLISSIME, diu feliciterque  
vivas. Ego vero futurus sum semper,

*AMPLISSIMI NOMINIS TUI,*

*cultor indefessus,  
JOH. HENRIC. HAGER.*

*Till Herr AUCTOREN.*

**O**m dygd och lärdoms rätta värde,  
Bestod i fåfängt skryt och präl,  
Som är så mångas hufvudmål,  
Bland dem som söka namn af Lärde;  
**E**Då vunne odygd dygdens heder,  
Och lärdom slogs af därskap neder.

Allt är ej guld som tyckes glimma.

**H**yad lof är väl den hjerna vård,  
Som full af uppblåst sinnes flård  
**F**örtårs bland toma tankars dimma?  
Män rum kan ges af Phœbi vänner  
Åt andre än dem dygden känner?

**E**tta upplyft vett i dygdigt hjerta  
Är det som hedrar Lårdas tropp,  
Som nyttja gör i rikets kropp,

**O**ch fruktar ingen afunds svärta;  
När stolt inbildnings fäste ramlar,  
Det vanlig frukt i oskuld samlar.

**E**tt fält beströdt med idel rosor  
Ej öpnas när man läras vill,  
Der fordras flit och möda till;  
**O**ch är ej gjordt med några glofor;  
Med Moders mjölken det ej árfves;  
Igenom arbet lärdom vårfves.


**O**m Er, Min Herre, bór jag nämna,  
Att Eder dygd man allmånt vet,  
Om Edert vett, Er idoghet,

**M**å desse bladen vittne lämna;  
Er önskas all förnöglig trefnad,  
All lycka uti långlig lefnad.

*af*  
**ERIC RUDA.**



Q. F. F. S.



rovidam Supremi Numi-  
nis curam vel ideo mirari  
convenit, quod eandem,  
ubique globo nostro ter-  
raqueo, non impresserit  
faciem, verum in *Mare*  
& *Continentem* illum par-  
tiendo, mortalium & uti-  
litati & jucunditati, mi-  
rum in modum consulue-

rit. Utrumque horum cuilibet adcuratius inspicien-  
ti, maxima eorundem obveniet in dissimilitudine *a-*  
*nalogia*; præterquam enim, quod, qua *planities*, *ca-*  
*cumina* & *convalles*, non adeo discrepant, eadem fe-  
re, quod mireris, Summi Conditoris artifacia, quo-  
rum feracissima sunt tria illa *Naturæ* regna, immania  
fovere æquora, recentiorum docuere observationes.  
In iis detegendis, describendis & in ordinem cogen-  
dis, quæ per continentem latissime sparsa, sensibus  
nostris

nostris sui copiam maxime faciunt, dum defudarunt  
naturæ curiosi, omnem fere eorum, quæ sub undis  
delitescunt, abjecere curam, paucula tantum ad lit-  
tora obvia, observasse contenti. Hinc factum esse  
reor, ut vastum mare, vel pro inanibus naturæ re-  
cessibus, vel certe pro cellariis impervijs, homi-  
numque usibus parum inservientibus, temere repu-  
taverint haud pauci. Præsenti vero seculo, cui &  
aliæ sc̄ientiæ sua debent incrementa, in id feliciter  
incubuere Naturæ consulti, ut, quæ in vasto lati-  
tant oceano, expiscarentur, eoque ipso, vestigia be-  
nignissimi Numinis, ibi non minus, quam in terra  
continentे obvia, monstrarent. Mihi, cui has de-  
licias propriis oculis intueri adhuc non contigit, pau-  
ca, quæ navigantibus accepta refero, attulisse suffi-  
ciat, quo ipso, me rem Eruditis non adeo ingrata m  
facturum existimo, præsertim cum hinc occasionem  
forte habeant, majori cura ea rimandi, quibus sedem  
in aquis dedit manus Omnipotentis. Dolemus hanc  
scientiam in cunis quasi adhuc vagire, quod inde est  
repetendum, quoniam rudes plerumque, nullisque  
litteris tincti nautæ & otiosi rerum spectatores, ne  
dicam olores, fere soli fuerunt, qui vastissima tra-  
jecerint æquora, speramus vero, fore, ut & hanc  
scientiam, mitiora maneant fata.

### Æ QUOR.

Ingens illud ÆQUOR, utrumque Polum allu-  
ens, quod ad Asiam, Africam & Americam immen-  
sa voragine extenditur, aquam habet subcærulescen-  
tem

tem (Kalm. it. 2. p. 153.) Sale copiosiore fœtam; perpetuoque fere motu *fluxus & refluxus* maris, agitatam, inque superficie, a procellis, in *undas* altissimas jactatam, cuius in fundo non reperiuntur vegetabilia, utpote quæ majori & luce & calore & aëre, in sui conservationem indigent; inveniuntur tamen ibi varia animalia: Mammalia, Nantia & Pisces, eaque, quod mireris, oculis, intra densas tenebras, instruta. Quemadmodum terra continens, montium iugis evehitur, sic deprimuntur gurgites, unde, quemadmodum ulterius patebit, perspicitur, mare contrario sese habere modo, respectu continentis, haud aliter ac in pacato & tranquillo littore, arborum umbras cernimus deorsum versas.

## VEGETABILIA.

**FUCUS NATANS** (*Sargazo* Osbeck. it. 303. Kalm. it. 2. p. 139. 140. 144. 148.) unicum illud vegetabile pelagicum, radicibus non hæret defixum in terra vel fundo, ut aliæ herbæ, sed in extrema superficie æquoris, prati instar, natat & animalibus infra concursantibus alimento interservit. Hoc ipso sedatur mare, & fluctibus suffocatis pacatum evadit. In continente, natura incipit a vegetabilibus & desinit in animalia, cum in mari, inverso ordine, suos producit fœtus. Vegetabilia illa, quæ in continente, vegetationem inchoant, sunt Fungi & Musci, quorum locum in mari **CORALLIA**, **LITHOPHYTA** & **ZOO PHYTA**, flotibus quidem, ut plantæ, conde-

cora-

corata implent, sed quæ facultate sentiendi sequi  
movendi, animalibus propria, gaudere videntur.

**MADREPORÆ** *simplices* referunt in fundo  
*Agaricos*; pileus autem earum est inversus, & lamel-  
læ sursum protensæ, ut taceam, **MILLEPORAS Bo-**  
*letis* non absimiles. Corallia hæc, non trabibus pu-  
trefactis, nec humo infiguntur, sed saxis adhærent;  
radices non agunt a semine quodam germinato, sed  
natales suos debent animalculis, stipites suos fabri-  
cantibus; neque hæc sursum crescere affectant, uti  
vegetabilia, sed plerumque deorsum tendunt.

**SERTULARIÆ** *Muscos* referunt, per fundum  
late sparsæ; flores earundem vivi sentientesque sunt  
animalia, multæque earum species, numerum mu-  
scorum terrestrium æmulantur, uti has pulcre deli-  
neavit egregius *Ellis*.

**CERATOPHYTA**, arbustorum loco, heic  
observantur, vario modo suos caules erigentia, uti  
*spirales*, *flabellas*, *paniculas* & *arbusculas*, easque si-  
ne foliis, porosas, ex quibus poris vivi erum-  
punt flores Zoophyti.

## VERMES.

**VERMES** marini numero stupendo certant cum  
Insectis continentis. *Conchæ* adsimilari merentur in-  
sectis coleopteratis, in fundo altissimi maris ubique  
copiosissimæ, quarum testæ ad littora nunquam per-  
veniunt, ideoque nec hodie notæ curiosis. Qui ita-  
que rariora, nec visa antea, conchylia detegere,  
vel concharum Anomiarum, Orthocerotum &c. testas  
deside-

desiderat, quarum icones in montibus tantum calcareis legerit, in ipsa maris voragine feliciter pescabitur. Si contingat aliquando in alto pelago videre ligni frustulum natans, id obductum erit **LEPADIBUS Ballanis & imprimis anatiferis** (Kalm it. 137.)

**NEREIDES** nesciluce longe copiosiores heic cernuntur, quam Culices in Lapponia, & quamvis adeo sint exiguae, ut oculorum aciei fere se subducant, cum tamen fundum maris deserunt & ad ejus superficiem sese conferunt, ea observantur copia, ut, atra nocte lucentes, aquam quasi ignitam reddant, ita ut navigantes, candentes velut inter ignes, cursum accelerare videantur.

**MEDUSÆ**, nocte similiter lucent, ventoque tranquillo, superficie aquæ innatant, ex quo efficitur, ut pacatum mare, tempore nocturno, coeli instar, stellulis quaqua patet adpareat conspersum; inter quas, **ASTERIÆ capita medusæ** passim obviæ, haud aliter ac cometæ, rutilante eminent luce.

**Zoopterygia** (Osb. It. 306.) pascitur sub Fuco natante; quoniam vero pratum illud supra posuit natura, pedes suos dorso habet affixos, quibus Fucis hisce adhæret natantibus. In fundo observantur veluti Pennæ avium delapsæ (*Pennæ marinæ*), vivæ & sese mouentes, quæ nihil minus, quam animalia, quæ tamen sunt, referunt; hæ per totam noctem lucent, ita ut pisces prætereuntes conspicí queant; & illi earum ope videant, quæ ipsis in fundo necessaria subministraverit natura.

**HOLOTHURIA velifcans** (Osb. It. 321. 284:

Kalm iter. 146. 150. 154. Toren. it. 321.) & MEDUSA *Velella* & CYMBIUM, quando mare est pacatum, emergunt & natant, velis vento datis, remisque ab utroque latere protensis, cursum suum dirigunt, puppim faventiori auræ adaptantes. En! facultatem nulli alii animali concessam. Quid? quod passim cernuntur *Cliones* (Brown. jam. 386. t. 43. t. 1.) aliaque ejus ordinis animalia Mollusca, quæ a nullis historiae naturalis cultoribus, sub certo aliquo genere, etiamnum comprehendendi potuerunt.

SEPIA *Loligo* (Osb. it. 66.) passim observari solet, e mari alte exsiliens, rostrisque navium, ab hostibus agitata, sese affigens; SEPIA *Octopodia* (Hasselq. it. 443.) cœcas & ad escam hiantes quærit conchas, quas facillime corriperet, nisi earundem satelles (*CANCER Pinotheres*), vigiles ageret excubias. SEPIA *Officinalis* hinc inde brachiis extensis, in aqua elutatur, quasi e gurgite emerget.

## INSECTA.

Nec prorsus oceano desunt insecta, quorum in numero habere fas est CULICES, qui per totum, qua patet, mare, ova ponunt, & quorum larvæ & Puppæ, superficie aquæ innatant.

SCOLOPENDRA *phosphorea* ex aëre, in altissimum mare vel naves delapta, noctu sæpius conspicitur, ubi fulgore suo, sidera illa cœlestia, Castorem & Pollucem, si non superare, saltim æmulari videtur.

ONISCI varii majores, quos inter *Pediculus ceti* habeat-

habetur, Cetis mordicus adhæret, eademque rodit, simili ratione, qua pediculi mammalia terrestria.

CANCER *minutus* (Osb. it. p. 143), inter Fucos natantes & ramenta cursitat supra aquam, eodem modo, quo *Cancer pelagicus* (Osb. it. 307, Kalm. it. 2. p. 176.) infra prata hæc dispersa Fuci.

## PISCES.

PISCES in alto pelago degentes, diversi plerumque sunt ab illis, qui littora petunt.

SYGNATHUS *pelagicus* (Osb. it. 308.) & *argentea*, (Osb. it. 302.) corpore tenui, inter Fucum natantem tranant, sicuti *Hippocampus*.

*Pisces volantes* (Osb. it. 286, 285, Kalm. it. 2. p. 135, 147, 149.) frequenter conspicuntur, ut *Lyra volans* & *Exocetus volans*, (Osb. it. 201.) quorum patria eadem est cum voracibus illis SCOMBRIS, e quibus præcipuae sunt *Pelamis* (Osb. it. 97.) vulgo Bonit. (Kalm. it. 2. p. 155.) & *Thynnus* vulgo Abecor (Osb. it. 69.) & *Glaucus* (Osb. it. 296.) & *Ductor*; horum Ductores (Osb. it. 72. Hasselq. 366.), satellitii instar, suum plerumque comitantur *Squalum*.

ECHINEIS brevibus prædicta pinnis pro longissimo itinere, quod læpe in Indias usque dirigere solet, pisibus majoribus, verticis ope, adhærere potest, quo ipso, equo quasi conducto, vehitur.

CORYPHÆNÆ uti pulcherrima *Hippuris*, (Osb. it. 307. Kalm. it. 2. p. 134, 141.), *Equiselis* (Osb. it. 308.) & *Pompylus*, rapacissimi sunt pisces pelagi, qui insectan-

eur & in fugam conjiciunt reliquos, uti CYPRINOS  
pelagicos. (Osb. it. 305.) CLUPEAS tropicas (Osb. it.  
300.) quo circa, fugaces illi aliique pisces volantes,  
plurium altitudine ulnarum supra mare exslientes,  
in naves earumque vela saepe involant, violentas  
hostium manus evitaturi.

## AMPHIBIA.

AMPHIBIA, quæ in alto versantur mari, spe-  
cie diversissima sunt a terrestribus.

TESTUDO *Midas*, dormitura pelagi superfi-  
ciem petit, resupinataque natat (Osb. 66) noctibus  
ad littora ascendit, ubi incultas inter cautes, in  
arena testaceo-calcarea, ova sua ponit (Osb. 293.)  
Voraces SQUALI (Osb. it. 293, 78, 70; Kalm. it. 2.  
p. 147.) Tigridum instar currentes, celerrimum na-  
vium cursum æmulantur, obvia quævis deglutientes.

LOPHIUS *bistrionius* (Osb. it. 305.) inter Fucum  
natantem degens, Zoopterygias leetatur & consumit.

## AVES.

AVES *Marinae* multum diversæ sunt ab avibus  
terrestribus. Hæ stolidæ homines non metuant, cum  
experientia non edocetæ, hominem esse ferocissimum  
omnium animalium, nelciant.

PROCELLARIÆ pelagicae nostris similes hi-  
rundinibus, stupendas supra undas, facile adeoque  
firmiter currunt, ut Alaudæ supra porcos agros,  
culices minimos prehensuræ. *Procellaria æquinoctia-  
lis* (Osb. it. 77. Toren. it. 321.) & *capensis* (Osb. it. 75.  
Toren.

Tereps it. 321.) intra tropicos, pisciculos & vermes infestatur.

**PHAÉTON** *ethereus* s. avis tropica (Osb. it. 291. 285. 84. Kalm. it. 2. p. 146, 147, 149, 151.) in aërem, ope duorum quasi lororum, alte se se evehit, intra calidos tropicos Pelagi.

**DIOMEDEA** *exulans* & **PELICANUS** *Aquilus* (Osb. it. 292.) auxilio longarum alarum, nubes alte volando quasi superant, indeque observant, quando Coryphænæ persequuntur pisces volantes, eoque supra aquam exilire cogant, quos, fulminis instar, celerim ad volando, abripiunt, ut neque hi, in aliud elementum se recipentes, a periculo securi sint.

*Pinguines* dictæ aves omni destitutæ sunt facultate volandi, siquidem remiges suos amiserunt, non nisi summa æquora inhabitant; ejusmodi sunt **DIOMEDEA** *submersa*, *Pbaëton demersus*, *Alca impennis* aliquæque aves, quibus concessit natura potestatem curvantur velocissime supra aquas, quemadmodum continentis aves in terra.

His adnumerantur **ALCA** *Torda*, *Artica*, *Lomvia*, *Gryllus* &c. ut & voraces illi **PELECANI** *Bajanus* & *Piscator* (Osb. it. 85.) quarumnam patria remotissima ab omni continente. Per aërem in altissimo mari vagantur **STERNAE** *stultæ* (Kalm. it. 2. p. 133, 134, 140, 148, 151.) rupes in quibus nidificant suo dealbantes stercore; homines non verentes.

## MAMMALIA.

*Mammalia*, quæ in æquore degunt piscium indumenta formam, inter quos sua quoque habent domicilia;

lia; utpote *Trochichus*, prægrandes illæ *Balenæ*, volaces *Physeteres* & volutantes *Delphini* s. *Purpoises* (Kalm. it. 2. p. 154, 155, 156, 158, 123, 124, 126.); pedes eorum postici coadunati sunt & brachia eorum intra Thoracis cutem retracta, ut facilius in suo elemento properent.

Has delicias licet tantillum delibavimus, fateri tamen necesse habemus, exiguam valde esse illam cognitionem, quam hac in re possidemus; nec tamen negare possumus, quin numerus animalium marinorum, sit stupendus & forte dubiam palmam cedat terrestribus. Speramus tamen fore, ut seri demum Nepotes in horum cognitione feliores evadant, quique tum observabunt, quam parum in his rudis versata nostra existiterit ætas. Quocirca sapientissimam juxta & benignissimam supremi conditoris curam, latis venerari nequimus, cuius ineffabilis bonitas, vel hoc certo respectu elucet, quod in ipso maris fundo reperiuntur animalia, pinnis pedibusque ita adaptatis, instructa, ut commode adeo ibi degere queant, prout ea, quibus in continente, sedem dedit natura.

Quemadmodum ab O. Creatore ordinatum, ut quæ sub æquatore in terris, ubi tenebræ noctu densissimæ, habitant, etjam lucem obtineant, eoque Insecta Cicadæ, Cantharides, Elateres, Arbusta photophorea luce noctu irradiant, ne loquar Tigridum Serpentumque oculos, ita etjam & heic in fundo profundissimo pelagi, quem vix attingere possunt radii solares, vermes plerique propria

pria luce splendent, utpote *Nereides noctiluce*, *Medusæ variae*, *Pennæ marinæ &c.* ipsi licet cœci, quo reliqua animalia, & quidem ea, quæ ipsis in cibum & alimentum cedant, non modo videant, sed & prætereuntes dapes adjacentesque percipiunt, alioquin enim & his frustra oculi essent concessi.

**E**x dictis videmus, aliam quasi esse naturam pelagi & terræ continentis.

Elementum, in Continenti aëreum, siccum, tenuissimum; in Pelago humidum crassius.

Plantæ in terra radiculis infixæ nascuntur; in Pelago mobiles, natantes.

Animalia in terra supra vegetabilia habitant; in mari sub plantis pascuntur.

In terra, vel minutissima quævis animacula, oculis gaudent; in Pelago, minima oculis carent.

In terra, lucem a sole & sideribus; in pelagi fundo, a se invicem eam mutuantur.

In terrestribus, pedes sub corpus sunt; in pelagicis supra dorsum vel pone in caudam coadunati.

Pisces in continenti ova parant ad littora emergura; in pelago natantia pariunt.

Varii in pelago volant pisces, exsiliunt alte Ligo, aliaque vela dant ventis; in terrestribus currunt & serpunt pleraque.

Aves terrestres pedibus insistunt, currunt; pelagicæ vero pleræque incedere nequeunt in sicco, & nonnullæ remigibus destitutæ sunt.

Heu quantum nescimus!



## Till Herr AUCTORN.

**M**in värde vän, jag ser, Du redan hissat segel,  
Du ger dig hurtigt ut, på lyckans vilda haf.  
Bland våta bóljors svall, som blifvet mångas graf,  
**O**m nu blås voor de wind, glöm du ej denna regel:  
Tag säker Styre-Man och Lots vid första strand;  
Låt Gud få vara med, ge rodret i Hans hand.  
Du redan har begynt likmåttigt ordres vandra;  
Du utkik, Prajning gör, för'n Hällsjö sätter ans  
Din Kultjen väntar dig, och när han nyttjas kan,  
Så fölg, helt oförskräckt! det ingen då bör klandra.  
Jag ligger toligt by, vid Styrbords Hals och Bog  
Och önskar höra få: att HAGER prisen tog !!!

*JONAS BJÖRKANDER.*

### *Min HERRE*

**A**tt foglar och insecters skara,  
I vilda havvets mörka grus,  
Bland fiskar utan minsta fara  
Kringbåra med sig egna ljus;  
Att rolig lefnad der blir förd,  
En sak är, hittills oerhörd.  
Att evig vishet velat måla  
I afgrunds djup sin himla pragt,  
Att äfven der Guds härar pråla  
Och tala om oändlig magt,  
Det visen J, som sådant sökt  
Och nu Hans åra germed ökt.  
Fortsaren i så prisvärd ifver,  
Och skyndar fort till årans hamn,  
Ea Efterverld med nöije skrifver,  
Bland Dygdens vänner Edert namn,  
Ert vett för Henne har behag;  
Att lyckan gynne, önskar jag.

*GABR. MYRSTEDT,*  
*Calm.*